

De publicis supplicationibus, atq; (viti vocamus) processionibus,  
QVÆ IN ECCLESIA DEI OBSERVANTVR, QVÆS, PRÆSIDEReuerendo Patre, Domino ALFONSO PISANO, Doctore Theologo, & Ordinario  
Professore, tueri conabitur M. Ioannes Lyresius, Cleuens, S.S. Theologiæ Studiosus.

37



Mnia quæ in publicis supplicationibus consuetudo Ecclesiastica comprobauit consona sunt verbo Dei.

Orare enim sacrae literæ passim nos docent.

Publicè etiam orare licet, non ex hypocrisis, sed ad Ecclesiæ ædificationem, ut videant opera nostra bona, &amp; glorificent patrem nostrum qui in cœlis est: vt &amp; ipsum Dominum non semel publicè orasse legimus.

Vt multi ad orandum conueniant, melius est: sic enim congregato populo in nomine Christi ipse est in medio eius.

Et, si multum valet oratio iusti vnius, quanto magis oratio multorum: meritò itaq; Dominus per Prophetam hortatur: Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos &amp; iuvenes vbera, ut ex multarum personis facierum per multos gratiæ agantur Deo.

Orationis gratia populum in locum sacrum conuenire sanctum est, ut primi Christiani perseverabant vnanimitè in templo.

His supplicationibus credimus auerti flagellum Dei: ut David supplicationibus suis pestem à Deo illatam cessaturam credidit, &amp; impetrauit. Ieiunia precationibus adiungere &amp; alia pia opera docuit nos præter alia multa Niniuitarum exemplum, &amp; qui dixit: Bona est oratio cum ieiunio &amp; eleemosyna.

Dum ad templum simul pergimus, interim etiam oramus, ut olim Iacob iter agens orabat.

Inter eundem ordinem quendam seruamus: quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.

Vt enim olim populi Israël per desertum ordinatissimæ processerunt acies, sic hodie armatæ procedunt phalanges Christi, ignitis orationis faculis, aduersus spiritalia nequitia in cœlestibus.

Vtq; tunc clangentibus tubis argenteis mouebantur castra Israël, ita &amp; nunc ad sonitum campanarum.

Ac ut militum exercitus interdum stationes agunt, interdum processiones, ut quando sunt in itinere, sic &amp; milites Christi.

Vnde ad similitudinem 42. mansionum, in quibus castra metatus est populus Dei, S. Gregorius ante mille annos stationes designauit in alma vrbe, vbi per Quadragesimæ tempus populus Christi in acie staret.

Huiusmodi stationū ac processionum, quæ temporibus Apostolorū celebratæ sunt, meminit etiam Tertullianus &amp; alibi, &amp; libro 2. ad vxorem. Siue procedat autem, siue stet in oratione plebs sancta, terribilis est dæmonibus ut castrorum acies ordinata, videtq; peccator hæreticus, &amp; irascitur, dentibus suis fremit &amp; tabescit, irridetq; ritum Ecclesiasticum, ut olim Michol irrisit Regem David, saltantem coram arca Domini.

Profert enim Ecclesia etiam in processionibus aliquando arcam domini, id est, ipsum corpus domini, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.

Frequentius verò Diuorum reliquias circumferimus, per quas Dominus miranda operari dignatus est: quæ profectò non minus conferre possunt quàm olim virga Aaron, quæ fronduerat, aut mannae paxillū: quæ in arca conseruabantur, &amp; in ea contra hostes Israël producebantur.

Præfertur præterea Christi vexillum, quod olim apparebit in cœlo, tantum abest ut erubescamus Euangelium.

Accendi verò cereos laudat S. Hieronymus contra Vigilantium.

Circuimus aliquando ciuitatem, orantes: quam orationem non minus putamus Deo acceptam quàm fuit Israëlitarum, muros Hierocontinæ ciuitatis circumeuntium.

Quod sacris ornentur vestibus sacerdotes ad sacrum ministerium, nemo vitio verterit, nisi qui velit minori decore fulgere Ecclesiam Christi quàm olim synagogam.

Cum ad templum Dei ventū est, in genua procumbimus, Paulum imitantes, qui flectebat genua sua ad patrem Domini nostri IESV Christi.

Caput detegimus, edocti ab Apostolo, virum orantem velato capite deturpare caput suum.

Pectus tundimus cum publicano, &amp; cum eodem oramus: Deus propitiū esto mihi peccatori.

Manus leuamus in cœlum, ut Paulus docuit: quo gestu, eleuationem mentis significante, olim Moses orans vicit Amalechitas.

Preces canendo pronuntiarī probat, qui nouit cantus Ecclesiasticos S. Augustino piās lachrymas excussisse, &amp; Apostolum iussisse exerceri suos in hymnis &amp; canticis spiritualibus.

Diuinum auxilium imploramus à sanctissima Trinitate.

Quoniam verò Dominus sæpe minatur: Inuocabunt me, &amp; non exaudiam: hinc est quod intercessores inuocamus eos quibus Christus dixit: In illa die in nomine meo petetis.

Sic docuit Patriarcha Iacob, dum moribundus nepotes suos benediceret: &amp; inter alia illud etiam adiecit: Inuocabunt nomen meum super eos, nomina quoq; patrum meorum, Abraham &amp; Isaac.

Sciunt sancti se à nobis inuocari, sicut &amp; norunt quando poenitentiam agimus: &amp; gaudium magnum est illis in cœlo super vno peccatore, poenitentiam agente.

Quoniam verò aliquando ita offensus est Dominus, ut ne quibusdam quidem sanctis intercedentibus mereamur exaudiri, ipso testante: Si steterint Moses &amp; Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ideo omnes sanctorum ordines inuocamus, ut multiplicatis intercessoribus gratiam nobis omnipotens largiatur.

Ad illum tamen sanctorum magis confugimus, cui scimus Deum peculiarem in eo, quod postulamus, gratiam contulisse: diuisiones enim gratiarum sunt (ait Apostolus) &amp; non omnes gratiam habent sanitarum.

Congregant ad supplicationes populum qui eidem in sacris præ sunt, ut Episcopi, quos posuit spiritus sanctus (secundum Apostolum) regere Ecclesiam Dei.

Idq; vel promulgata lege, in posterum seruanda, ut de Rogationibus ante festum Ascensionis, vel ad tempus, quando videbitur opportunum.

Sic tempore Iudith fecit Eliachim Pontifex, &amp; alij sacerdotes magni tempore Iosaphat &amp; Ezechia, regum Iuda.

Vtq; est &amp; supplicationum in pompa funebri, quia sancta &amp; salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur.

Pro defunctis (inquam) non qui rei sunt gehennæ ignis, sed qui, Matthæi quinto, rei sunt iudicio aut concilio.

Exempla multa publicarum supplicationum &amp; processionū extant in vtroq; Testamento, sed inter alia præclarum est illud, quando Dominus dominica Palmarum intrauit in Hierusalem, turbis acclamantibus: O sanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.

Vtq; tunc Phariseis frementibus prædictæ acclamationes Domino placuerunt, sic nunc, inuitis licet hæreticis, si Catholici tacuerint, lapides clamabunt.

Piè itaq; faciunt, qui iudiciis processionibus aut stationibus per Episcopū aut Ecclesiasticæ hierarchiæ præsidem, frequentes accurrunt, fidemq; Catholicam palam protestantur.

LAUS DEO.

Disputabuntur in schola Theologica, hora octaua. 29 Januarij 1788

Ingolstadij excudebant Alexander &amp; Samuel Vieissenhornij, Anno M. D. LXIII.

1563



